

XXI. COCCIVM

(Ribblechester, nunc Ribchester).

Coccium in itineraio Antonini solo (p. 482, 1) memoratum (ex Ravennatis certe corruptelis nomen eius mansionis erui nequit) aliqua cum probabilitate in Ribchester collocatur, quo vestigia viae Romanae eiusque mensurae ducunt. Repertae sunt ibi reliquiae Romanae conspicuae (cf. Horsley p. 302; Goughs Camden 3 p. 378. 391 et scriptores ad cap. XX indicati, velut Leigh et Baines), celebratae illae iam saeculo XVI versiculo quodam a Camdeno servato, cuius similes aliis quoque locis circumferebantur (incolae claudicante rhythmo dictitant 'it is written upon a wall in Rome Ribchester was as rich as any towne in christendome' Camden ed. I p. 431), artis antiquae opera (ut galea illa aenea operis splendidi edita in vetustis monumentis 4 1815 n. 1; cf. Whitaker Richmondshire 2 p. 215 tab., videntur enim ad Coccium pertinere, quamquam Whitakerus de origine tacet), titulique hoc loco collecti, qui castra fuisse indicant non parva. Tegulae militares nullae adhuc inde prodierunt; unde de militum numeris, qui in castris ibi fuerint, anceps iudicium est. In titulis sepulcralibus duobus, de quorum fide dubitari nequit, nominantur equites alae Sarmatarum (n. 229. 230); quae nusquam alibi quantum scio reperta est. Putanda est post Vespasiani Marci bella Sarmatica inter sociorum copias locum obtinuisse. In titulo n. 218 n(umerus) eq(uitum) Sarmatarum Gordianus cognomine honorifico dictus memoratur, idemque numerus altero cognomine ut ita dicam geographico, ut solet fieri nominibus talibus, indicatur stativa habuisse non Cocci, sed Bremetennaci (itin. p. 481, 5 ubi codices meliores Bremetonaci habent, Bremetonaci cod. Vatic. et a secunda manu Vindobonensis; Rav. 5, 31 p. 431, 3 Bresnetenaci veteranorum), quae est mansio itinerarii a Coccio sita m. p. XX in via versus septentriones ducente. Notitia (p. 115\* 3 Böck.) Bremetennaci cuneum armaturarum ponit; neque obstat quod situs eius quaerendus est, ut videtur, prope Overborough (v. infra cap. XXVI). Itaque illud conici potest, certo quodam tempore alam ipsam Sarmatarum castra habuisse Cocci, numerum autem eius paullo ulterius collocatum fuisse Bremetennaci. Praeterea in titulis Cocciensibus memorantur vexillationes legionis sextae Eburacensis (n. \*222 225) eiusdemque centurio (n. 218); sed etiam vicesimam Devensem in castris muniendis occupatam fuisse docet titulus eius (n. 227). Incertae legionis cohortem

indicat n. 228. Denique semel nominatur decurio alae Asturum in titulo non nimis certae lectionis (n. 221); offendi sane potest in numero cohortis omisso, quamquam cohortes et alae etiam alibi non nunquam ita breviter indicatae sunt; alas Asturum primam et secundam scimus in stationibus per lineam valli Britannici stativa habuisse, Conderci illam, hanc Cilurni (v. infra c. XLIII et XLVI). Tamen praeter alam Sarmatarum et vexillationes fortasse duarum legionum etiam alios ibi militum numeros aut eodem tempore aut deinceps tendere potuisse nemo negabit; neque enim castra ipsa exigua sunt, et dedicationes diis et imperatoribus factae a legatis provinciae et legionis, ut videntur (n. 221 cf. n. 226), item legatus provinciae nominatus in titulo operis alicuius militaris divis fratribus dicato (n. 225) non parvi ea momenti fuisse demonstrant. Etiam miliaria duo ibi reperta sunt.

Auctores titulorum hi sunt.

1. CAMDENUS eiusque amici, quorum exempla ex parte valde imperfecta (ut n. 220) servata sunt, noverunt iam eorum plerosque (n. 218. 219. 220. 221. 223. 225. 229. 230). Ex Camdeno omnino pendet LEIGH.

2. HORSLEIUS unum tantum indagavit (n. 225) eumque mancum; exemplum plenum, quod hic primum edimus, servavit Camdeni amicus aliquis ignotus solus.

3. Optime meritis est de titulis Cocciensibus Thomas Dunham WHITAKER, scriptor Eburacensis, de cuius scriptis referetur capite proximo. Is titulos aliquot Coccienses a se collectos eosque gravis momenti paene omnes ab interitu vindicavit eo, quod collegio S. Iohannis Cantabrigiensi legavit; ubi servantur atque a me excussi sunt a. 1866. Unus eorum casu mansit ineditus (n. 228).

4. Edw. BAINES historiographus comitatus Lancaster (v. cap. XX n. 3) unum tantum titulum addidit (n. 226), quem editores libri eius nuperi emendaverunt ex antiquarii ignoti ibi prope degentis exemplo.

Qui singulos titulos exhibuerunt Pennant (n. 227), Bruce (n. 218), Just (n. 221), eos satis est hoc loco breviter memorare.

Ipsae Cocci non fui, sed contuli, ut dixi, titulos per Whitakerum Cantabrigiam delatos quattuor (n. 218. 222. 222a. 224).

218 Lapis antiquus Riblestriae erutus a. 1578 ANON. Ad Salesbury hall, quae sunt vicinae aedes Talbottorum, lapis Cupidinem et alteram imaginulam prae se ferens, in cuius parte aversa mutilata haec inscriptio CAMD. ed. I.; . . haec mihi descripta fuit sed nullo sensu inscriptio, quam quia me diu sollicitum habuit, ut aliorum opinionem eliciam, hic subiungam IDEM ed. VI. Ibi denuo detexit a. 1814 WHITAKER (I was permitted by the favour of Lord Bulkely, to detach this fine sculpture from the wall, . . . when on the third side appeared the inscription), cuius dono pervenit Cantabrigiam in collegium S. Iohannis, ubi servatur.

latus sinistrum		DEO · SAN	in latere dextro:	in parte postica:
latet	a	POEN · MPON	Apollo	feminae duae
	pr	O SALVE · D · N	stans	stantes capitibus
	et	N · EQQ · SAR	lyrae	bus turritis
	5	mat. BREMETEN · N	innixus	(aut modis
	g	ORDIANI		ornatis), in-
	p	· ANTONI		super nudae
	an	VS · 7 LEG · VI		(fortasse
		VIC · DOMO		Matronae?)
	10	MELITENIS		
		NIIN I		

Descripsi summa cum difficultate. Anonymus in cod. mus. Brit. Cotton Iulius F X f. 137 v.; Camden ed. I p. 431 (inde Scaliger cod. Lugd. CI et in sylloge maiore p. 61; Grut. 842, 14) et ed. VI 1607 p. 614 (inde Horsley p. 302; Goughs Camden 3 p. 391); Leigh Lancashire 3 p. 3; Th. D. Whitaker Whalley p. 23 et Richmondshire 2 p. 462 (inde Baines Lancashire 3 p. 378; Hinde gent. mag. 36, 1851 p. 640; Wright the Celt p. 262); Bruce archaeol. journ. 12, 1855 p. 213 (inde I. Becker rhein. Mus. 13, 1859 p. 263), lapid. ad n. 183.

In Camdeni ed. I vv. 6—10 iuxta v. 1—5 positi sunt, errore (inde apud Grut.); in editionibus posterioribus inde a VI (1607) verus ordo restitutus est. Anonymi et Camdeni exempla, quamquam paene consentiunt, non prorsus eadem sunt; usus est Camdenus fortasse exemplis pluribus.

1 SEOSAN ANON., SEOSAN Camd. I, SEOSAM Camd. VI, DEO SAN Whit. 2 ROLNASON ANON., Camd., POLNAPON Whit., POENMPON Bruce. Ut dedi mihi visus sum legere; i prior cum l priore conexas contra morem. Post N mihi visum est aliquid in lapide fuisse, fortasse t perparvum. 3 OSALVEDN ANON., Camd., OSALVE DN Whit. 4 AL QQ SAR ANON., Camd., ALEQQSAR Whit., N · EQQ · SA · R Bruce. 5 BREVENN ANON., BRETEEN Camd. I, BREVENM Camd. VI, BRENFEN Whit. 6 BEDIANIS ANON., Camd., OR · DIANI Whit. — 7 ANTONI ANON., ANTONI Camd., = ANTONI Whit., 9 ANTONI Bruce. 8 VS MEG · VI ANON., Camd., VS 7 LEG VI Whit., NVS · LEG · VI Bruce. 9 IC DOMN ANON., IC DOMV Camd., IC DOMY Whit. DOMO, quod antea sculperat, postea correxit lapicida. 10 ELITER ANON., Camd., VELITEREIS Whit., MELITENIS Bruce.

V. 2 de Apolline Apono, i. e. ἀπόων, aut ab aquis Aponis ita dicto, cogitavit Whitaker, perperam. Matronae solent simpliciter dici sine cognominibus. Puto in lapide fuisse ANON. De deo Maponum cogitavit C. L. Grotefend (Bonner Jahrb. 18, 1852 p. 242) collato titulo n. 332, sed neque aliunde constat Maponum illum fuisse Apollinem neque explicantur ita feminae duae partis posticae, quibus in latere sinistro tertia potest accessisse.

Deo san(cto) [A]pollini [et] M[at]ronis [pr]o salute d[omi]ni n[ost]ri [et] n[umeri] eq[ui]tum Sar[mat]arum Bremetenn[acensium] Gordiani P[ompe]ii Anton[ian]us c[enturio] leg[ionis] VI vic[tricis] domu Meliten[sis] (?) . . . . .